

MASDEVALLIA BICOLOR. TAB. CVIII. B.

M. foliis oblongis, apice rotundato tridentatis, brevissime petiolatis, pedunculos strictos excedentibus; floribus rectis; perianthii infundibuliformis, profunde trifidi laciniis sensim attenuatis, longis, sepalis interioribus apice oblique truncatis; labello obovato cuneato, apice subtrilobo.

Crescit cum praecedente. Floret Januario.

DESCRIPTION. Herba tri vel quadripollicaris, radicibus numerosis, simplicibus, tenuibus, tortuosis, glabris, albidis, intertextis, pollicaribus, vel paullo longioribus. Folia numerosa, patula, brevissime petiolata, petiolo obtuse trigono, castaneo, lineas duas longo, post folii articulati delapsus superstitis; lamina oblonga, basi in petiolum attenuata, apice rotundato obtusissima et tridentata, dentibus triangularibus, acutis, mucronatis, plana, nervosa, nervo intermedio supra impresso, subtus carinato, lateralibus strias referentibus, numerosis, coriacea, obscure viridis, laevis, nitida, pollicis duos et dimidium longa, lineas septem ad octo lata. Pedunculus ut plurimum solitarius, radicalis, strictus, angulosus, circiter bipollicaris. Ovarium patenti deflexum unde flos rectus, clavatum, spiraliter tortum, glabrum, lineas tres longum, stipatum bractea infundibuliformi, parum ventricosa, altero latere in acumen excurrente, nervosa. Perianthium horizontale, infundibuliforme, profunde trifidum, fissura inter sepala inferiora fere ad basin producta, apice haud constrictum, sepalis sensim nec uti in praecedente abruptim in lacinias filiformes attenuatis; sepalo supremo oblongo, ascendente; inferioribus oblongis, obliquis, inaequilateris, margine inferiore undulatis, cuspidibus deorsum deflexis: interioribus subfalcatis, apice oblique truncatis et emarginatis, trinerviis, basi nudis. Labellum erectum, cum ima columnae basi articulatum, sessile, concavum, cuneato obovatum, angulis anterioribus rotundatum, medio in lobulum brevem, deltoideum, obtusum desinens, nervosum. Color sepali supremi ad basin usque utrinque flavum, sepalorum inferiorum atropurpureus, laciniarum aurantiacus. Columna curvata, semiteres. Anthera speciei praecedentis.

Explicatio tabulae CVIII. B. MASDEVALLIA BICOLOR. — a) Sepalum superius. b) Sepalum inferius. c) Sepalum interius m. n. et triplo auctum. d) Columna cum labello item. e) Labellum explanatum.